Rękawowski Ioannis: Quaestio metaphysica de accidente.

A. M. D. G.

QVÆSTIO METAPHYSICA

De Accidente

Ad mentem

D. Thomæ Doctoris Angelici.

Sub felicibus auspicijs

MAGNIFICI, PERILLVSTRIS, ET ADMODVM REVERENDI DOMINI,

D. ANDREÆ KVCHARSKI,

S. Th. Doct: & Professoris, Ecclesiarum Cathedr: Crac: Canonici, Colleg: SS. OMNIVM Præpositi, Contubernij Hierosolymitani Prouisoris, ALMÆ ACADEMIÆ CRACOVIENSIS GENERALIS RECTORIS.

A

M. IOANNE RĘKAWOWIC, *Philosophiæ Doctore Contubernij Hierosolymitani Seniore.*

Publicè ad Disputandum proposita.

In Peraugusto DD. Theologorum Lectorio,

Anno Salutis M. DC. LX. IV.

Die. Mensis Octobris.

CRACOVIÆ,

In Officina apud Hæredes Stanislai Bertutowic.

QVÆSTIO METAPHYSICA.

V. Accidens Prædicamentale quod est secundum quid Ens, essentialiter inhærens subiecto, omnibus modis posteriùs illo, habens vnitatem numericam ab eodem, educatur de potentia eius: nec ne?

CONCLVSIO PRIMA.

Accidens Prædicamentale ex natura sua est Ens secundum quid.

COROLLARIA.

1. Accidens non est Ens simpliciter, sed cum addito; scilicet Ens in alio, vel entis Ens.
2. Est tamen Ens essentialiter & intrinsecè participans naturam Entis realis.
3. Est Ens distinctum realiter à Substantia.
4. Accidens non habet existentiam propriam, quæ sit perfecta & primaria: habet tamen imperfectam & dependentem à subiecto.
5. Accidentia in communi nequeunt naturaliter esse sine subiecto: supernaturaliter tamen, præsertim communia, optimè.

CONCLVSIO SECVNDA.

Accidens rectè dicitur Ens essentialiter inhærens subiecto.

COROLLARIA.

1. Acci-

1. Accidens non est per se subsistens.
2. Dicitur tamen essentialiter in hærens subiecto: non inhærentiâ actuali, sed aptitudinali.
3. Aptitudo ista ad inhærendum non est aliquid superadditum accidenti; sed est illi essentialis, indistincta, & inseparabilis ab eodē
4. Frustra igitur confingitur alia differentia constitutiua accidentis, quæ vocatur radix talis aptitudinis.
5. Accidens nequit inhærere subiecto diuersi ordinis: adeò vt Spirituale Corporeo, & è contra, etiam supernaturaliter inesse non possit.

CONCLVSIO TERTIA.

Accidentia habent omnibus modis ordinem posterioris respectu subiecti seu Substantiæ.

COROLLARIA.

1. Ratio seu Definitio accidentis est posterior quàm substantiæ.
2. Accidentia dicuntur; & sunt posteriora ~~tempore~~ cognitione quàm Substantia: non tamen quo ad originem, respectu cognitionis nostræ; sed quò ad perfectionem, vel confusam cognitionem.
3. Vnde accidentia supernaturalia, licet sint perfectiora in genere moris: non tamen in genere Entis.
4. Accidentia quoq; dicuntur posteriora tempore quàm Substantia, latè sumpta: eò quod præsupponant generationem Substantiæ; nec possint esse naturaliter separabilia ab illâ.
5. Accidens deniq; est posteriùs naturâ, quam Substantia.

CONCLVSIO QVARTA.

Accidens Primò & radicaliter, sumit vnitatem suam numericam à Subiecto sumpto formaliter; id est vt substat eidem actioni agentis, & eidem tempori.

COROLLARIA.

1. Accidens nequit radicaliter indiuiduari ab hæcceitate.
2. Accidens idem numero nequit esse in pluribus, etiam per absolutam DEI potentiam.
3. Implicat quoq; plura accidentia realia solo numero distincta, esse in vno subiecto adæquato.
4. Accidentia miraculosè separata: indiuiduantur radicaliter per ordinem ad hoc subiectum; proximè verò per propriam Entitatem.

5. Quantitas ſumpta in ordine ad ſubiectum, quod extendit, indiuiduatur ab ipſo: iam verò abſolutè ſumpta, quatenus in ſe eſt extenſa, ex ſe ipſa eſt indiuidua.

CONCLVSIO QVINTA.

Licet Accidentia connaturalia ſubiectis, non tàm educântur de potentia ſubiecti quam potiùs vel cöeducantur, vel etiam concreentur: tamen alia omnia educuntur de illo.

COROLLARIA.

1. Accidentia nequeunt fieri ex nihilo ſubiecti.
2. Accidentia non habent aliquas inchoationes in ſubiecto.
3. Accidentia educi de potentia ſubiecti, nihil eſt aliud quàm illa dependere in eſſe, fieri, & conſeruari ab illo.
4. Accidentia ſupernaturalia etſi contingat fieri per accidens ſimul cum ſubiecto: tamen per ſe loquendo, educuntur de potentia obedientiali ſubiecti.
5. Alia quoq; Accidentia. vt violenta, artificialia, educuntur de potentia obedientiali: & intentionalia ſimiliter de potentia, V.G. medij vel potentiæ; licet minus quàm realia.